



AN. XXII · N. 132.

MM. MARTIO et APRILI

AN. D MCMLII

[www.culturaclasica.com](http://www.culturaclasica.com)

## SUMMARIUM

Bibliographia . . . . .	Olivar, González, Sansegundo
Anceps, ancipitis . . . . .	Mir
De novo libro et fragmento Aristotelis . . . . .	Orth
Nomenclatura vestiaria . . . . .	Holzer
Nova et Vetera . . . . .	González
Cursus Gymnasticus . . . . .	Mir
Commercium epistulare . . . . .	Mir-Holzer
Exercitationes Scholares . . . . .	Martínez, Brasero

## BIBLIOGRAPHIA

VOX. — *Diccionario Manual Francés-Español, Español-Francés*. Publicaciones y ediciones SPES. Barcelona, 1950.

Praeclara et mirifice merita de arte domus editrix Spes novum hoc dictionarium Gallicum-Hispanum et vice versa studiosis disciplinae litterarum offert. Quod quidem opus in ea principia vergit recentissima, quae et auctores et magistri ad hodiernam dictionariorum confectionem attinere aestimant.

Molis haud magnae liber est: omnino manualis sed tamen aptus et commodus, qui discipulis sermonis Gallici inter nos sit magnae utilitatis. Conspectus autem typographicus certe nitidus atque ornatus exhibetur. Et non nullas dictionarium tabulas grammaticales easque accuratas praebet, quibus vel ante oculos res artis grammaticae ponantur.

Varietas vero coloris in utraque dictionarii parte mire impensae temporis, dum alumni elucubrationes praeparant seu consultant, parcat. Continet hoc dictionarium, praeter linguae usualis voces, abundantem nomenclaturam commercii, scientiae, artium, humani cultus; multa insuper nomina propria commodat atque conjugationem verborum regularium et irregularium non nullorum.

Verum dictionarium hoc Gallicum-Hispanum et vice versa multo, nostra quidem sententia, honestaretur, si non nullis minoris momenti omissis vocibus, uberiores explicationes et acceptiones vocum contineret. Fortasse hoc loco quadraret illud: Non multa, sed multum.

Utilitatem tamen magnam hoc opus afferet, quod alta facile superat dictionaria magno in usu in Hispanica natione.

IGNACIO ERRANDONEA, S. J. — *Gramática Latina*, 14.<sup>a</sup> ed. 1951. E. Subirana, Barcelona.

Nemo omnium in Hispania et Hispana America erit inter Latinae linguae cultores atque studiosos, quin vulgatam noverit Grammaticam Latinam a P. Ignatio Errandonea exaratam, singulari officio in Latinitatem viro. Nunc vero in publicum ipsius editio quarta et decima refertur, eaque publice approbata, quae textus in scholis gymnastisque nationis Hispanae habere possit.

Nihil autem in hac editione inventes novi alienive ab aliis superioribus. Disciplinae grammaticae dispositio et ordo praeclaro scriptori est satis visa — neque immerito — idonea sermonis Latini alumnis informandis: quod quidem et iugis libri petitio in discipulis confirmare pergit.

Omnino honorat opus editricem domum Pontificiam Eugenii Subirana, qui quidem et nitido et perspicuo prelo cultoribus Latinae linguae librum commodare studuit. Ex quo vero animi gaudio nuntiamus lectoribus «Palaestrae» novam hanc Grammaticae Latinae editionem, quae mirifice est merita inter innumeros fere artis grammaticae libros in nostratium commodum alumnorum.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

# PALAESTRA LATINA

PRETIUM SUBNOTATIONIS ANNUAE: 20 pesetarum in Hispania et America. 22 pesetarum in reliquis civitatibus  
Pretium mittatur oportet ad Administratorem: Lauria, 5, Apartado 1042, Barcelona.  
Scripta ad Moderatorem: Conde, 2, Barbastro (Huesca)

## Anceps, ancipitis

Apud omnes nota est summa diligentia qua probatissimi investigatores notationes verborum seu etymologias expendunt; hos, qui maximo studio totoque pectore iis vacant investigationibus, sedulo sequi oportet; et ab his, nisi post gravem et intentam rei conquisitionem, recedere nefas est. Illud igitur dolendum in phonetica et etymologia pertractandis non nulla in grammaticis et scriptorum commentariis, quae alumnis traduntur, veri religione neglecta, aliquando proponi. Admonendi igitur sunt ea legentes ne falsa pro veris excipiant; quibus hae notulae strictim scriptae adjumento esse poterunt. In praesentia de voce *anceps* quam paucissimis verbis agam. De qua *Thesaurus linguae Latinae*: «*anceps (ancipes), ancipitis* adi. [cps. ex *ambi-* et *caput* Th.] ...*Anceps* de capitibus in diversum spectantibus, *biceps* generatim de duobus. *Ancipes* [pristina forma nominativi, pro qua *anceps* ad exemplum vocum *princeps manceps* sim. formatum esse videtur. Th.]. Patet igitur ex his verbis et ex lexicis etymologicis a cl. v. Walde-Hofmann et Ernout-Meillet exaratis *anceps* ab \**am(b)iceps, am(b)+caput* originem ducere. Pristinae tamen fuerunt nominativi formae *ancipes* et *praecipis*, quae cum vocibus *princeps, manceps, municeps*, cet. comparatae sunt, ac non ita recte ut composita ex verbo *capio* sunt interpretatae. Quae verborum assimilatio seu, ut ajunt, «contaminatio» in primis in voce *praiceps* apparet, quacum et *praecipis* (nom.), *praepice* (ablat.) apud Ennium et Plautum exstant, ex quibus falsam Festus (cfr. Forcellini, s. v.) —quem alii inconsiderate sequuntur— ex v. *capio* protulit etymologiam.

Plurima in *Thesaurus L. L.* afferuntur exempla ex quibus patet formam genitivi *ancipitis* —et ex ea derivatas— semper retineri, *ancipis* autem nunquam. (1)

Salmanticae.

Jos. M. MIR, C. M. F. -

(1) De quibus consule *Thesaurus L. L.*, FORCELLINI, WALDE-HOFMANN, SOMMER, *Handbuch der lateinischen Laut- und Formenlehre*, 3 A. p. 364, qui rei explicationem profert; et ERNOUT-MEILLET: s. v. *caput*, «Composés en *-iceps/-cipitis*

*anceps* (ancien *ancipes*... de \**am(b)iceps*, cf. Prisc., GLK II 29, 19...; *praiceps, -cipitis* adj. (nom. *praecipis* dans Pl. Ru. 671, et par contre abl. *praepice* Enn. A. 399 d'après la fausse analogie de *princeps*)...

# De novo libro et fragmento Aristotelis

Ex Himerio sophista novum librum novumque fragmentum Aristotelis recuperare possumus.

**Himerius** ex oppido Prusa in Bithynia oriundus, anno p. Chr. n. circiter 300 natus usque ad annum fere 380 vitam egit. Athenis paganus ille artem rhetoricam docuit, cujus discipuli sanctus Basilus Caesariensis et Gregorius Nazianzenus fuerunt. Cum facultatis varie dicendi gloria clareret, multis tamen aequalibus odio fuit; nam orationes et declamationes (quas edidit Aristides Colonna, Romae, 1950) verbis poetice nimis referebat ultimamque partem sententiarum clausulae numero exornabat; multa historiae exempla adhibebat, unde orator philosophorum memoriam non ignorasse facile putari potest. Ita in oratione Philippis habita, Aristotelis philosophi consuetudines cum Hermia —principe oppidi Atarnēi in Mysia Asiae Minoris siti— et cum Alexandro Magno olim alumno regio, commemorat; cujus orationis locus —magni momenti ad Aristotelis vitam explanandam, paragraphis 6 et 7 (pg. 167, 40 - 168, 55, COLONNA, Romae, 1950)—, translatus latine sic se habet: «6: Erat quidem Hermias genere Atarnensis, Atarneus autem oppidum Mysorum non magnum quidem, splendidum tamen aspectu, a quodam Mysorum rege appellatum. Hermias igitur familiaris inter intimos Stagiritae philosophi factus magistrum ad se amandum omni virtute ex imo corde inflammaverat. Aristoteles ideo, ut potest audiri, multa quidem et alia desiderii sui in eum documenta ostendit; nam eum philosophia excoluit atque virtutem edocuit ejusque sanctuarium (=aediculam rotundam), solius inter familiares suos carmine elegiaco decoravit; sed praeterea hoc maximum sui in illum studii indicium Stagiritae fecit: nam cum esset, occasione data, in Asiam ab Alexandro vocatus, ut praedicator simul et spectator victoriarum de Persis fieret, profectusque Atarneum venisset et totum oppidum cujuslibet virtutis et sapientiae sitiens vidisset, non tacitus praeteriit, sed brevi libello cum oppidum Hermiam celebravit».

**De Aristotele Assi docente.** Platone mortuo, cum Aristoteles Athenis jam moraturus non esset, una cum Xenocrate, socio Academiae, anno 347 Assum in Asiam Minorem se contulit ad Erastum et Coriscum Platonicos, qui ibi novam scholam Platoniam instituerant. Assus et Atarneus erant oppida ejusdem principatus, cujus principes modo Assi modo Atarnēi sedem habebant. Assi autem litterae magis florebant quia priores principes majore munificentia in artes liberales ibi usi fuerant. Aristoteles ergo a majore Athenarum Academia ad minorem Asiae Minoris Academiam Assi, a minore libertate docendi ad majorem sui ingenii elationem transierat. Assus et Atarneus erant loci maritimi, Athenae vero a mari longe aberant. Quocirca Aristoteles

multo liberius et alacrius mare cottidie conspiciens philosophiae disciplinis studebat et facilius conversionem a Platonis vaticinantis verborum ambagibus ad meram rerum essentiam explorandam laborare poterat; nam «libertate maris menti datur propago» (*Das freie Meer befreit den Geist*). In museo Assiano omni *παρρησία* id est libertate dicendi opinionibus sententiisque Platonis dijudicare et dissentire poterat; et inde nova doctrina methodusque nova philosophandi Stagiritae originem ducit.

**De Hermia principe Atarnei.** Societati Platonicae Assi docenti jam ante Aristotelis adventum Hermias, princeps Atarnei, adhaerebat. Plato, in epistula sexta scripta ad *ἐταίρους* Erastum et Coriscum, Hermiam quoque commemorat, unde patet hunc principem circa annum 350 strenue philosophiae Platonicae operam navasse, atque ab illis sociis omnia de Aristotele nota, ut opinor, accepisse. Stagiritis vix Assum advenerat, cum Hermiae quoque consuetudine uti coepit ab anno 347 ad annum 344. Etiam hoc loco philosophus inter aequales ut Athenis mirabili acumine eminebat, id quod Hermias antea compertum habebat et nunc ipse observabat. Ille autem princeps Atarnei doctrina advenae in regno administrando usurpare conabatur. Aristoteles *καθηγούμενος* id est: in philosophia dux et praeceptor discipuli natu majoris Hermiae factus, tandem affinitate principis auctus est, quo pacto philosophia Graeca et theoretica et practica per duos viros familiarissimos et concordissimos principatum Atarnei et Assi nobiliter moderabatur. Hermias igitur lege Platonica simul princeps et philosophus, rerum potiebatur; quamvis *ὄψιμαθής* philosophiae, tamen optimus defensor humanitatis Graecae contra Persas erat, virtute et sapientia excellens. Hermias velut primus discipulus novae doctrinae Aristotelicae etsi non rector, tamen protector scholae philosophorum Assi fuit. Aristoteles duos viros vere politicos edocuit: Hermiam et Alexandrum Magnum. Occiso a Persis Hermia, Stagiritis virtutem et alacritatem amicissimi et fortissimi principis carminibus et sermonibus iterum ac saepius laudavit, at nunquam regem Macedonum.

**De voce *θάλαμος*.** Himerius scribit (p. 167, 28) Aristotelem *θάλαμον* Hermiae elegia exornasse, quo honore Hermiam solum inter familiares affecerit. Quod vocabulum *θάλαμον* omnes editores falso interpretati sunt «nuptias» intelligentes; maxime Wilamowitz, philologus ille Berolinensis, in opere, quod inscribitur *Aristoteles und Athen* (Berolini, 1893), II, 405, 3 erravit *θάνατον* pro *θάλαμον* legens; Wilamowitz autem ignoravit significationem *θαλάμου* ad architecturam pertinentem, quae aediculam rotundam minimi templi indicat; propterea vehementer erravit audacter *θάνατον* mente fingens et Strabonem falsa de Hermia narrantem sequens. At papyrus Berolinensis anno 1901 reperta commentarium ad orationem Demosthenis continens a Didymo Chalcentero grammatico Alexandrino compositum, errores Wilamowitz refutavit. Aristoteles

θάλαμον Hermiae inscriptione metrica re vera decoravit et Hermiam solum hoc modo honoravit, quoniam Hermias ipse solus inter discipulos Aristotelis fuit princeps et affinis; praeterea populus Atarnensis illum θάλαμον Delphicum in sui principis honorem in terra Graeca construendum vovisse videtur. Θάλαμος aedicula igitur rotunda est ad recipiendam statuam et protegendam; in crepidine statuae Hermiae versus Aristotelis sculpti erant. Θάλαμος et versibus philosophi Graeci Hermias fautor humanitatis Graecae factus est. (1)

Ad notionem θαλάμου cfr. PAUSANIAS, VI, 19, 2; PLINIUS, Hist. nat. VIII, 185; AELIANUS, Nat. animal, XI, 10, PLUTARCHUS, Quaestiones Romanae, 36; PLUTARCHUS, Fortuna Romana, 10; LUCIANUS, De dea Syria, 31; DAREMBERG-SAGILIO, Dictionnaire des antiquités Gr. et Rom. s. v. thalamos, vol. V, 175. — Exemplum denique foedissimae conjecturae protulit Jacobus Bernays (apud Augustum Boeckh), qui θλαδίον (eunuchum) pro θάλαμον scribere ausus est.

(Ad proximum fasc.)

Dr. EMIL ORTH

## Nomenclatura vestiaria \*

1	cambiar	ändern	<i>vestis formam mutare</i>
2	hacer cambiar	ändern lassen	<i>vestis formam curare mutandam</i>
3	probar	anprobieren	<i>experiri, (vestis experimentum)</i>
4	vestido, traje	Anzug	<i>vestitus</i>
	» hecho	fertiger Anzug	» <i>confectus</i>
	» a medida	Anzug nach Mass	» <i>ex corporis mensura</i>
	» de sociedad	Gesellschaftsanzug	» <i>ad societatem</i>
	» combinado	Kombinierter A.	» <i>combinatus</i>
	» de verano	Sommeranzug	» <i>aestivus</i>
	» de deporte	Sportanzug	» <i>ad atletismum</i>
	» de trabajo	Strapazieranzug	» <i>laborifer</i>
	» ordinario, de calle	Strassenanzug	» <i>viarius</i>
	» de invierno	Winteranzug	» <i>hiemalis</i>
	» de montar	Reitanzug	» <i>equester</i>
	» de viaje	Reiseanzug	» <i>viatorius</i>
5	bocamanga	Aermelaufschlag	<i>manicae revivimentum</i>
6	planchar	aufbügeln	<i>laevigare</i>
7	planchar	Bügeleisen	<i>ferramentum laevigatorium</i>
8	remendar	ausbessern	<i>sarcire</i>
9	ensanchar	ausweiten	<i>laxare</i>
10	alborno	Bademantel	<i>sabānum</i>
11	frac	Frack	<i>synthesis bifida, (caudata, birundi-</i>
12	calzado	Fussbekleidung	<i>calceamentum [nea]</i>
	tacón	Absatz	<i>fulmenta, f.</i>
	» de goma	Gummiabsatz	» <i>e gummi</i>
	poner medias suelas	besohlen	<i>solum suppingere</i>

(1) Ad historiam Aristotelis et Hermiae, adjumento sunt imprimis hi libri: 1 August Bockh, Hermias von Atarneus (Kleine Schriften vol. 6 (Leipzig, 1872) 185-210). — 2 U. von Wilamowitz, Aristoteles und Athen (Berlin, 1893) — 3. Werner Jaeger, Aristoteles (Berlin, 1923) 128-129. — 4. Joseph Bidez, Un singulier naufrage littéraire dans l'antiquité; à la recherche des épaves de l'Aristote perdu. (Bruxelles, 1943)

\* Cfr. fasc. sup. p. 132, vocabula sapienter a Dre. Holzer proposita cum iis quae alias in P. L. prodierunt, conferenda erunt.

galochas	Galoschen	<i>gallicae</i>
polainas de cuero	Gamaschen aus Leder	<i>ocreae</i>
» de tela (botín)	» aus Stoff	<i>pedúles, ium m.</i>
puntera	Kappe	<i>calcei spiculum</i>
» de charol	Lackkappe	<i>spiculum lucidum</i>
oreja	Lasche	<i>ligula</i>
horma	Leisten	<i>forma</i>
poner en la h.		<i>in formis calceos reponere</i>
empella, pala	Oberleder	<i>obstragulum</i>
pantufias, zapatillas	Pantoffel	<i>crepidae</i>
caña (de la bota)	Schaft	<i>crurale</i>
babuchas	Schlappen	<i>soleae</i>
cordón de zapato	Schnürriemen	<i>corrigia</i>
suela	Schuhsole	<i>solum</i>
betún	Schuhwischse	<i>cera</i>
calcetines	Socken	<i>impilia, n. pl.</i>
bota	Stiefel	<i>zanca</i>
sacabotas	Stiefelknecht	<i>furca caligaris</i>
chanclo	Überschuh	<i>supercalcei</i>
remontar	vorschuhem	<i>calcei spiculum reficere</i>
dar betún	wichsen	<i>cerare</i>
bota de elásticos	Zugstiefel	<i>calcei cum cuneo elastico</i>
13 forro	Futter	<i>pannus subtilis</i>
forrar	füttern	<i>vestimentum panno subtili munire</i>
14 cinturón	Gürtel	<i>cingulum, zona</i>
15 hebilla	Gürtelschnalle	<i>cinguli fibula</i>
16 guante	Handschuh	<i>digitale, digitabulum</i>
manopla	Fausthandschuhe	<i>chirotecae sine digitis</i>
guantes de taflete	Glacéhandschuhe	<i>digitalia e corio</i>
17 vestido de casa	Hausrock	<i>tunica cubicularis</i>
18 camisa	Hemd	<i>interula</i>
» de franela	Franelhemd	» <i>e flanea</i>
camisa de punto, [de Macón]	Macohehd	<i>interula e gossypio aegyptio</i>
» de dormir, camisón	Nachthemd	» <i>nocturna</i>
» de punto	Normalhemd	» <i>normata</i>
» de día	Oberhemd	» <i>diurna</i>
camiseta	Unterhemd	<i>macula, strigoria</i>
pechera, camisolín	Vorhemd	<i>anticum</i>
pechera (cosida), chorrera	Hemdiensatz	<i>paraguada</i>
camisola	Einsatzhemd	<i>interula paragaudia</i>
19 pantalones	Hosen	<i>braccae</i>
dobladillo	Hosenaufschlag	<i>braccarum replicatura</i>
trincha, pretina	Hosenbund	<i>cinctura</i>
pernera, pernil	Hosenbein	<i>crus</i>
fondillos	Hosenboden	<i>fundus</i>
portañuela, trampa	Hosenklappe	<i>lacinia</i>
bragueta	Hosenschlitz	<i>apertura</i>
pantalón corto	Kniehosen	<i>tubracum</i>
pantalón bombacho	Knickerbocker	<i>sarabara, n. pl.</i>
calzoncillos	Unterhosen	<i>braccae interiores</i>

	tirantes	Hosenträger	<i>braccarum babenae</i>
20	chaqueta	Jacke	<i>sagus</i>
	chaleco [jersey] de punto	Unterjacke	<i>striatoria lanea</i>
21	chaquetilla de punto	Jäckchen	<i>sagulus</i>
22	chaqué	Jackett	<i>caracalla</i>
23	zamarra, cazadora	Joppe	<i>singilio</i>
	» de caza	Jagdjoppe	» <i>venatorius</i>
24	blusa	Kittel	<i>indusium</i>
25	botón	Knopf	<i>globulus, malleolus</i>
	ojal	Knopfloch	<i>ocellus</i>
	gemelos	Manschettenknöpfe	<i>globuli manuleorum</i>
	abrochar	zucknöpfen	<i>globulos conectere</i>
	desabrochar	aufknöpfen	» <i>laxare</i>
26	sombrero	Kopfbedeckung	<i>capitis tegimen</i>
	descubrirse	» abnehmen	<i>caput aperire</i>
	sombrero de fieltro	Filzhut	<i>petasus coactilis</i>
	elac	Klapphut	<i>tutulus plicabilis</i>
	sombrero flexible	Schlapphut	<i>petasus flaccidus</i>
	» de copa	Zylinder	<i>galerus tutulatus, cylindratus</i>
	gorro	Kappe	<i>cappa, f.</i>
	hendidura del sombrero	Delle	<i>plica, lacuna</i>
	ala del sombrero	Krempe	<i>ala, margo</i>
	gorra	Mütze	<i>pileus</i>
	gorra con visera	Schirmmütze	» <i>cum projeadura</i>
	» de plato	Tellermütze	» <i>planus</i>
	boina	Baskenmütze	» <i>vasconicus</i>
	gorro de dormir	Zipfelmütze	» <i>nocturnus</i>
	barboquejo	Sturmriemen, Kinnband	<i>offendix</i>
	visera	Mützenschirm	<i>projeadura</i>
27	cuello	Kragen	<i>collare</i>
	» alto	hoher Kragen	» <i>altum</i>
	» de pelliza	Pelzkragen	<i>peritrahelium pelliceum</i>
	alzacuello, cuellecillo	Stehkragen	<i>numella</i>
	cuello recto de pajarita	» mit Ecken	» <i>angulata</i>
	alzacuello doble	Stehumlegkragen	» <i>inversa</i>
	cuello doblado	Umlegkragen	<i>collare inversum</i>
28	gorguera	Krause	<i>limbus</i>
29	corbata	Krawatte	<i>colli vitta, fasciola</i>
	» (sin nudo)	Selbsbinder	<i>fasciola subliganda</i>
	alfiler de corbata	Krawattennadel	<i>spinula</i>
30		Kutaway	<i>caracalla rotundata</i>
31	librea	Livree	<i>synthesis famularis</i>
32	gemelo	Manschette	<i>manuleus</i>
33	abrigo	Mantel	<i>mantum</i>
	impermeable	Gummimantel	» <i>gummosum</i>
	chubasquero, impermeable	Regenmantel	<i>paenula impenetrabilis</i>
	gabán, sobretodo, paletó	Paletot	<i>laena</i>
	esclavina	Pellerine	<i>abolla</i>
	abrigo de piel	Pelzmantel	<i>mastruca, mantum pellicium</i>

JOSEPH HOLZER, Reator



# Nova et Vetera

## I. De humani corporis sensibus

Quod omnium primum in corpore humano admirationem habet, illa est sensuum virtus atque efficacitas, qua omnes quidem universorum notiones attingere possumus. Unusquisque vero sensuum prae se propriam fert et compagem et munera propria, quae scriptoribus Latinis non nullas facile scribendi rationes commodare queunt. Quasdam igitur placuit modo proferre, quae tanquam ansam de sensibus hominum dent Latina lingua colloquendi.

Atque ille in primis Ciceronis (1) textus ad Herennium memorandus, ubi quinque commodum sensus numerantur: «In instanti tempore quaeretur, num visus sit, cum faciebat, num qui strepitus, clamor, crepitus exauditus aut denique num quid aliquo sensu perceptum sit, *aspectu, auditu, tactu, odore, gustatu*; nam quivis horum sensus potest conflare suspicionem» (Ad Heren., II, 5, 8). Communis autem sic sensus nominari solent: *Visus, auditus, odoratus, gustus, tactus*. Qui his versibus facete comprehenduntur:

«Nos aper auditu, praecellit aranea tactu,  
Vultur odoratu, lynx visu, simia gustu».

Operae quoque pretium est illa Tulliana hoc loco recordari, quae de sensuum actione vel agendi virtute agunt: «Quae autem aspectu percipiuntur, ea non versari in oculorum ulla jucunditate, ut ea, quae *gustemus, olfaciamus, tractemus, audiamus*, in ea ipsa, ubi sentimus, parte versentur. In oculis tale nil fit; animus accipit, quae *videmus*» (Tusc., 5, 38).

1. *Visus* active est facultas, sensus actusque videndi vel cernendi; passive autem pro eo sumitur quod videtur, sive per diem sive etiam in somniis. Itaque *ex visu*, idem atque *ex viso*, significat: ex monitu divino in somnis habito. *Visus* est omnium longe praestantissimus sensus, cujus ope discernimus colores in oculo, cui figura est rotunda, facile ut sit omnem in partem mobilis ad species rerumque imagines excipiendas.

Videndi sensus organa seu apparatus *oculi*, qui quasi corporis sunt lumina subjacentque humanae fronti. Qui habentur et fenestrae animi, et mentis interpretes rerumque omnium figurarum iudices atque arbitri. Nervus opticus, bisulcus, ex cerebri regione proficiscens, oculis inseritur, quibus quidem defert spiritus visionis; invicemque species ab oculis ad sensum communem trajicit: ex quo a multis physicis tanquam sedes visionis habeatur

Nunc vero multiplices oculorum proprietates si



(1) Vel altus scriptoris.

ve partes. Sunt etenim mobiles, lubrici, quoquo versum *emissicii*; sunt quoque acres, acuti, lyncei, hebetes, truces, torvi; sunt denique transversi seu limi, obliqui, glauci, herbei, nigelli, aquilini, miluini. Humani oculi facile iratum, propitium, laetantem, dolentem, ignavum, audacem, timidum, amantem odioque affectum produunt.

Qui facti sunt ex tribus quasi *tunicis*: cornea, uvea et ea quae reticulata nominatur, quamque eandem esse cum nervo optico asserunt; item ex tribus humoribus translucidis: aqueo, crystallino, vitreo. Oculi prominuli obscurius, profundiores clarius cernere nati sunt. Oculorum anguli seu hirci sudant saepe lacrimas, ut illud Lucretianum referri valeat: «Et lacrimis salsis humectent ora genasque».

*Pupilla*, albo undique circumfusa, veluti speculum est, ubi imagunculas rerum objectarum deinceps in forma pupularum resplendent. Iris vero est circulus pupillam ambiens; *orbis* sinusve cavus est oculorum: «Immanis luminis orbis (Polyphemi)». Et pupillam subinde humectant irrorantque palpebrae, niŕtando; atque cilia, e crepidine palpebrarum nata, cum superciliis, ne quid in oculos nocivi incidat, prohibent.

Res tandem universi esse possunt praeclarae ad aspectum aspectuque terribiles. Possumus aspectum hominum vitare et intertrimento temporum aspectum (id esset maximum et miserrimum omnium miseriarum) amittere possumus. At in eo tamen caecitatis casu rem *pro viso* renuntiare possumus. Quo pacto? Alio scilicet sensu utentes: auditu.


2. *Auditus* est audiendi sensus atque actus. Stricto quidem sensu est idem audiendi sensus, quod ex allato Ciceronis exemplo tibi patebit; itemque audiendi actum significat. Per figuram vero metonymiam auditus ponitur pro iis quae audiuntur, sive pro fama, rumore; vel etiam pro ipsa doctrina, quae auditoribus traditur.

*Aures* sunt natura tanquam audiendi sensus organa seu apparatus. Etenim in auribus est sicut officina auditus, ubi animus noster discriminat sonus; id est, cogitationes concussi circa se aëris, quas percipiunt audiendi apparatus, quaeque ex fabrica aurium interna commode intelleguntur.

Itaque *auriculae* sunt aptatae auribus. Auricula enim, quod scribit Forcellinus, saepius sumitur speciatim pro exteriori auris parte. Patulae vero ad sonos repercutiendos manent; et cavatae variisque anfractibus flexuosae oculis apparent. Infima auditus pars ansa est auricularum; summa autem dicitur pinnula; capreolus vero exterior ambitus.

Corneolus est introitus atque ita dispositus ut, si qua minima bestiola irrumpere conaretur, in ejus sordibus tanquam in visco inhaeresceret, atque sonus multis relatus flexibus amplificaretur. Pars interior *concha* nominatur; pars vero latior cartilaginea, pinna; et testudo est, qua foramen meatusque in auditu intimo patet.

Ibi anfractus est, alias *cochlea*, gyris flexus ejus-



demque foramen seu exitus. Tum membranula, *tympanum*, foramini illi obtensa manet; supra quam cavitas, ubi tria ossicula, a physicis quae vocantur malleolus, incus stapesque sibi mutuo incumbentia. Inde fenestellae duae, quem ad modum in nolis perforatis; tum canaliculus ad ostiolum cannae pulmonis seu asperae arteriae, quo aër, qui est in aure, per respirationem facilius agitari possit.

Itaque fit sensibilis auditio in tympano, ubi aliam vibrationem clamor, aliam sibilus, aliam echo, aliam. . perciet. Hinc varietas mira sonorum in tibiaram nervorumque cantibus; hinc intervalla, discrimina vocum vocisque permulta genera; hinc quod adjectivo modo dicitur: canorum, fuscum, lene, asperum, grave, acutum, flexile, durum, reboans, cet.

Nunc vero sonitus cum geminatione re percussus et resonans *echo* dicitur; modulatus vero, cantio; e fractura aliqua proveniens, fragor; e rebus elisis ortus, crepitus; sonitus, si vehementior sit, fremitus; valde tenuis, tinnitus; si proprie metallorum sit, metallicus nuncupatur.

Denique juvat, suavitatis gratia, hic non nullas animalium voces, quas auri- bus accepimus, memorare. Accipiter pipat; vultur pulpat; anser gingrit; anas te- trinnit; apis bombilat; ciconia crepitat; cygnus drensat; cicada frinnit; corvus cro- cit; gallus cucurrit; gallina glocitat; graculus frigulat; grus gruit; hirundo trinsat; luseinia mitilat; milvus lipit; noctua cucubat; palumbes plausitat; passer pipit; perdix cacabat; pica garrit; merops zinzilulat; sturnus pisitat; pulli pipilant; pavo pupillat; psittacus garrit; vespertilio stridet.

(sequar)

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

#### VOCABULARIUM

*acer, cris*, penetrante (oculi acres)  
*acies, ci*, mirada (aciem intendere)  
*acutus*, vivo (oculi acuti)  
*albūgo, inis*, nube, albugo  
*album oculi*, blanco del ojo  
*audire*, oír  
*audire*, oír a menudo  
*auditio, onis*, oída  
*auditione accipere*, saber de oídas  
*auricularius*, propio de las orejas (dolor auricu-  
*auris, is*, oreja [larius])  
*auris ima*, el cabo de la oreja  
*auriscalpium*, escarbaorejas  
*auritus*, orejudo  
*bisulcus*, ahorquillado, partido en dos  
*caeculare*, estar encandilado  
*caecus*, ciego  
*caecutire*, no ver claro  
*caesius*, garzo (oculi caesii)  
*caperare*, fruncir el ceño  
*cilium*, pestaña, ceja  
*claudere*, cerrar (claudere aures)  
*cochlea*, caracol  
*conivore*, cerrar los ojos  
*eminens*, saltón (oculi eminentes)  
*emissicius*, escudriñador (oculi emissicii)  
*glaucus*, verde claro (oculi glauci)  
*gramiac, arum*, legaña  
*bebes, etis*, tardo (aures bebetes)

*bircus, i*, lagrimal  
*hordeus*, orzuelo  
*labyrinthus*, laberinto  
*limus*, oblicuo, turno  
*limis oculis aspicere*, mirar de reojo  
*lippire*, padecer hinchazón de ojos  
*lippus*, legañoso  
*lubricus*, movable (oculi lubrici)  
*niñari*, guiñar  
*niñatio, onis*, guiño  
*oculus*, ojo  
*oculis captus*, ciego  
*paetus*, que mira de través  
*palpebrae, arum*, párpado  
*palpebrare*, parpadear  
*patefacere*, abrir (patefacere aures)  
*patulus*, atento (aures patulae)  
*prominens*, reventón (oculi prominentes)  
*pupilla, pupula*, pupila  
*rubens*, colorado (auriculae rubentes)  
*sinus, us*, cavidad del ojo  
*strabo, onis*, bizco, bisojo  
*supercilium, ii*, sobrecejo, ceño  
*supercilium tollere*, fruncir el ceño  
*teres, etis*, fino (aures teretes)  
*torvus*, amenazador (torvis oculis)  
*tritus*, habituado (aures tritae)  
*trux, cis*, terrible (oculi truces)  
*tunica*, membrana.

# Cursus Gymnasticus

## EL LLANTO DE LA VIRGEN

Pues cuando la Virgen lo tuvo en sus brazos, ¿qué lengua podrá explicar lo que sintió? ¡Oh ángeles de paz, llorad con esta sagrada Virgen, llorad cielos, llorad estrellas del cielo; y todas las criaturas del mundo acompañad el llanto de María! Abrázase la Madre con el cuerpo despedazado; apriétalo fuertemente en sus pechos (para esto sólo le quedaban fuerzas), mete su cara entre las espinas de la sagrada cabeza, júntase rostro con rostro; tíñese la cara de la Madre con la sangre del Hijo, y riégase la del Hijo con las lágrimas de la Madre. ¡Oh dulce Madre! ¿es ese por ventura vuestro dulcísimo Hijo? ¿Es ese el que concebistes con tanta gloria y paristes con tanta alegría? Pues ¿qué se hicieron vuestros gozos pasados? ¿Dónde se fueron vuestras alegrías antiguas? ¿Dónde está aquel espejo de hermosura en quien vos os mirábades? Ya no os aprovecha mirarle a la cara, porque sus ojos han perdido la luz. Ya no os aprovecha darle voces y hablarle, porque sus orejas han perdido el oír. Ya no se menea la lengua que hablaba las maravillas del cielo. Ya están quebrados los ojos que con su vista alegraban el mundo. ¿Cómo no habláis agora, Reina del cielo? ¿Cómo han atado los dolores vuestra lengua?

(FR. L. DE GRANADA, *De la oración y consideración*, pte. I, c. 10, 13)

### TRANSLATIO

#### BEATAE VIRGINIS LUCTUS

Nam quae lingua exprimere poterit quid Virgo sacratissima senserit cum Filium in manibus habuerit? Lugete, Angeli pacis, cum hac sacra Virgine, lugete caeli, lugete caelorum stellae, omnesque — quae in terris estis — creaturae Mariam lacrimis prosequimini. Dilaniatum corpus Mater amplectitur, illudque vehementi animi impetu sinu adstringit — nam ad id tantum vires suppetunt —; faciem in spinas sacri capitis inserit, os ori conjungitur; Matris frons sanguine Filii inficitur, ac Filii facies maternis irrigatur lacrimis. O Mater omnium dulcissima!, estne hic tuus dulcissimus Filius? Estne hic quem tanta circumdata gloria concepisti tantoque exsultans gaudio peperisti? Quid ergo de tuis praeteritis gaudiis? Quo perceptae olim laetitiae evanuerunt? Ubi est illud pulchritudinis speculum in quo te inspiciebas? Jam tibi nihil expedit vultum ejus intueri, nam ejus oculi lumen amiserunt; jam tibi nihil prodest eum compellere eumque alloqui, nam aures sensus audiendi sunt expertes; jam illa lingua quae caelorum narrabat miracula suo non agitur motu. Jam illi oculi, quorum adspectu omnes laetabantur, corrupti sunt. Quo modo nunc, Regina caeli, non loqueris? Quo modo dolores linguam tuam alligaverunt?

### COMMENTARIUM

**Pues:** *nam*; eaque particula inducit probationem, ab una in aliam rem transit, commotum loquentis animum in interrogationibus saepe significat (cfr. FORCELLINI, s. v.).

**la Virgen:** definitio — seu determinatio —, qua nos, praeposito articulo [*la*], propter excellentiam Virginem (Mariam) designamus,

per adjectivum *sacra*, (*beata*) est exprimenda.

**lo:** aptius in substantivum [Filius] commutandum est.

**tuvo en sus brazos:** locutio Hispanica convertenda est in *habere in manibus*: «Inimicum meum sic amplexabantur, sic in manibus habebant...» (Cic. *Fam.*, 1, 9, 10); (Cfr. etiam

KREBS-SCHMALZ, *Antibarbarus der lateinischen Sprache*, s. v. *bracchium*), vel in gremio excipere (Cic.), *amplexu tenere* (TACIT).

**explicar:** *exprimere*; «Mithridaticum bellum totum ab hoc expressum est» (Cic. *Arch.*, 21), *fué contada, explicada*; vel etiam *explicare*: «Vitam alicujus totam explicare» (Cic. *Part.*); «Verbum explicare» (Cic.)

**lo que sintió:** verbum subjunctivo efferrí debet, quia est interrogatio indirecta [*quid senserit*]: «Socrates quid senserit apparet in eo libro in quo moritur» (Cic. *Tusc.* 1, 43. 103), [*apparet quid senserit*]: *lo que sintió*. Quae tota propositio alio est ordine contexenda; idque animadvertit priorem orationem accessoriam [*quando la Virgen lo tuvo en sus brazos*] arto nexu esse conjunctam cum reliqua oratione, cujus sensum complet; agitur enim de exprimentis sensibus Beatae Virginis *eo temporis momento* quo Filium in manibus habuit; cumque haec oratio ab alia pendet quae subjunctivum obtinet, et ipsa in eo modo erit conjungenda (cfr. LLOBERA, *Grammat. class. Lat.*, n. 313; PASQUETTI, *Grammat. Lat.*, n. 220; 180).

**llorad:** anaphora est retinenda, et ab ipso verbo *lugete* incohandum: «Lugete, angeli pacis».

**y todas:** *omnesque*: *-que* cum extremo orationis membro.

**criaturas:** *res creatae, creata* (n. pl.); neque tamen *creatura* rejicienda videtur, quamquam ea vox apud scriptores ecclesiasticos tantum inveniatur (cfr. tamen KREBS-SCHMALZ, *Antibarbarus*, s. v.).

**mundo:** *orbis terrae*; quae locutione omnia, quae in terris sunt, designantur; *orbe vero terrarum*, quae sub Romanorum dictione erant regiones; *mundus* eo sensu a poetis et a Plinio, Floro, Seneca adhibetur; perbene latine dicitur *in terris*; *in terra* autem dixit Plautus.

**acompañad el llanto de María:** cum raro apud Romanos rebus inanimis actiones et qualitates personarum tribuantur [cfr. *la vigilancia de Cicerón salvó a Roma*: «Cicero sua vigilantia Romam servavit», vel pass.], tota oratio convertenda in «Mariam lacrimis prosequimini». (Cfr. «Eum inquentem terram votis, omnibus, lacrimisque prosecuti sunt». (Cic. *Planc.* 26), *le acompañaron... con lágrimas*;

hic vero sensus ab alio ejusdem verbi non nihil differt: «prosequi aliquem lacrimis»: *llorar a uno*; prioris significationis exemplum in illis Plinii verbis (*Epist.* 10, 17) luculenter apparet: «Maximum libertum et procuratorem tuum... libenter apud te testimonio prosequor»: *le acompaño con este testimonio (escrito)*. Scribendum *lacrima*, non vero *laeryma*.

**despedazado:** *dilaniatus, dilaceratus, disceptus*; cui adjectivo, ut vim addas, primum locum in oratione adscribe.

**apriétalo:** ut intimam cum superiore oratione connexionem significes *illud adhibe*, etque particulam *-que* addes, cujus haec est conec-tendi atque subtilius res exprimentí virtus (cfr. BERGER, *Stylistique lat.* § 62).

**fuertemente:** respondet locutioni *con toda el alma*, et ideo aptius vertes «omni (vehementi) animi impetu». Cfr. «Omni animi impetu in rem publicam incumbere» (Cic. *Fam.* 10, 5, 2).

**en sus pechos:** verte in *sinu adstringere*.

**para esto:** rectius orationes particula *enim* colligabis quae in parenthesi et cum pronomine *is* [*is enim: sic enim, cet.*] in primis usurpatur.

**le quedaban fuerzas:** *vires ei suppetunt*. Cfr. «Quibuscumque vires suppetebant ad arma ferenda praesto fuere». (Liv. 4, 22), *los que tentan fuerzas*. «Scribentur forte plura, si vita suppetat». (Cic. *Fin.*, 1, 4), *si me queda vida*. In qua parenthesi adhiberi posse videtur praesens superiorem narrationem in praesenti prosequens; sed et imperfectum apud Caesarem saepe legitimus: «Dat negotium Senonibus reliquisque Gallis, qui finitimi erant, uti ea quae apud eos gerantur, cognoscant» (CAES. B. G. 2, 23). Ea enim est praecipua imperfecti vis ut quandam rei explicationem proferat (cfr. RONCONI, *Il verbo lat.*, p. 42).

**cara:** *facies*, proprio nomine dicitur facere a «facie», qui rei quam facit imponit faciem. Ut fictor cum dicit «fingo» figuram imponit..., sic cum dicit facio faciem imponit» (VARR. L. L. 6, 78); et ideo *facies* est species seu figura oris, quae eadem semper manet; *vultus* autem animi sensus profert et pro animi motu immutatur: «Recordamini faciem atque illos fictos simulatosque vultus» (Cic. *Cluent.* 96). «Imago animi vultus est» (Cic. *Orat.* 3, 59). Os vero

est proprie quam dicimus *buccam*, sed ad faciem, vultum, conspectum saepe transfertur. *Frons* pro vultu etiam sumitur: «Homines fronte et oratione capiuntur» (Cic.) «Verissima fronte aliquid dicere» (Cic. *Rab. Post.* 12), *con rostro sincero, con sinceridad en el rostro*. Has igitur voces prudenter variabis.

**tñese:** *inficio, intingo*. Has orationes concinnitate, chiasmo, disjunctione adorna.

**oh dulce Madre:** adhiberi potest nominativus, vel vocativus, tacita saepe interjectione *o* nisi exclamationem *vividius*, exprimat: «O conservandus civis» (Cic. *Phil.* 13, 37); apud Ciceronem exclamationem praecipue in accusativo invenies: «O falsam spem! o volucrem fortunam!» (Cic. *Sull.* 32, 91). Adjectiva positiva laudis et vituperationis —maxime in appositionibus— saepissime in superlativa convertuntur ut rem significantius expriment: «Patres amplissimi, *nobles señadores*; «Vir amplissimus P. Scipio», *el esclarecido P. Escip.* —Tandem, superlativo *omnium* addere potes.

**es ese:** cum rei assensum expectemus *nonne* adhibebimus, quam in *ne* commutare possumus vel particulam reticere.

**con tanta gloria:** ut rem plenius significant solent Latini participia addere substantivis, quibus praepositio apud nos tantum praet: *a caballo*, «equo insidens», *en una barca*, «exceptus scapha». —Adde igitur *circumdata...*, *exsultans*.

**qué se hicieron:** verbum rescindes quo significantiorem reddes interrogationem

**gozos pasados:** *praeterita gaudia*; cfr. «Praeterita aetas» (Cic. *Senect.* 19, 2); «praeteritus labor perlit» (QUINTIL. 10, 7); «praeterita nox», «praeteritae culpa».

**se fueron:** *evanuerunt*. «Postea quam extenuari spem nostram et evanescere vidi» (Cic. *Att.* 3, 13), *vi desaparecer, que se fué*; «Evanescit dolor» (OVID. *Metam.* 14, 135), *desaparece, se va*.

**antiguas alegrías:** *perceptae [olim] laetitiae*; «Memoria perceptarum voluptatum» (Cic. *Fin.* 2, 30), *el recuerdo de antiguos (pasados) placeres*.

**ya no os aprovecha:** *expedit, prodest*. «Nihil minus Caesari expedit»... (Cic. *Att.* 7, 22). «Sed quid fingere prodest» (OVID. *Metam.* 13, 935).

**mirar:** *intueri*. «Intueri solem adversum nequitis» (Cic. *Somn. Scip.* 5).

**han perdido la luz:** *lumen amittere*; cfr. «Sine ullo morbo lumina oculorum amisit» (NEP. *Timol.* 4, 1); et etiam «lumine orbati sunt»: «Luminibus orbatus» (SUET. *Vesp.* 7).

**darle voces:** *compellare*. «Blande compellabo hominem» (PLAUT. *Poen.* 3, 3, 72).

**hablarle:** *colloqui aliquem*; «Quem nemo recipi tecto, nemo alloqui» (Cic. *Cluent.* 61).

**han perdido el oír:** *expertes sunt sensus (facultatis) audiendi*; «Humanitatis expertes» (Cic. *Div.* 2, 28); vel uno verbo: *obsurdesco*; «Hoc sonitu completae aures obsorderunt» (Cic. *Somn. Scip.* 5).

**ya no se menea:** ut reflexionem *vividius* innuamus verbo *agitari, suo motu* addere possumus: «Cieri et agi suo motu» (Cic. *Nat. d.* 2, 19), et ut distinctius notemus *suo a motu* sejungamus.

**están quebrados:** *corrumpi*; cfr. «Lacrimis corrumpere ocellos» (OVID.)

**alegraban el mundo:** cum *laetor* ut v. Intransitivum usurpetur, totam orationem commutare oportet: «quorum adspectu omnes laetantur»; cfr. «Laetaris tu in omnium gemitu» (Cic. *Verr.* 7, 46), *el gemido universal te alegra*, «Laetor praesenti tua dignitate» (Cic. *Fam.* 2, 9), *tu dignidad actual me alegra*. —Vox *mundo* ex ipso orationis sensu in *homines* vel *omnes* converti posse videtur.

JOSEPHUS M. MIR, C. M. F.

Salmanticae.

# Commercium epistulare

*Josephus Holzer Josepho M. Mirio, C. M. F., viro Latinitatis peritissimo sal. plur.*

Exeunte mense septembri, ineunte octobri —quo ipso die res facta esset, e memoria excidit— cum, postquam sacris adfui, paulisper ante domum deambulabam, subito coram adstitit tabellarius. Praeter epistulas tum officii cum amicorum foliumque diurnum tradit ille cursualem sarcinulam, pro qua portorii loco XXXV francos exigit. Jam e pittaciis cursoriis cognovi inesse PALAESTRAE LATINAE collectionem. Inde factum est, ut summulam illam perlibenter perpenderim. Neque porro mirum, quod pectore prominente laetus pedes domum rettuli. Studiorum autem ingressus zotheculam solvi funiculos, quibus cursualis fascis circumligatus erat. Qua re finita jam defixus eram in lectione. Legebam atque legebam uno tenore PALAESTRAE LATINAE numeros inde a quinquagesimo tertio ad centesimum quartum. Nunc tandem praecipua saltem Divi Antonii Clareti vitae capita pergustavi animo piis affecto motibus. Frustra antea vitas pervolutavi sanctorum, quales in popelli christiani usum edi solent. Frustra in hac re adii theologos, frustra consultaveram Encyclopaediam Herderianam. Quae Herderianum lexicon Ecclesiasticum de Sto. Antonio habet, ea magis incohatam exhibent imaginem quam absolutam. Sed per PALAESTRAM vestram e caligine ignorantiae in lucem quandam respirare coepi. Nonne videtur nostro Pio XII praemonstrator fuisse in devotione immaculato Cordi Divae Matris exhibenda? Humano genere tot —eheu— afflicto aerumnis ac discordiis discisso immaculato Cordi Divae Mariae consecrato nonne rerum conclusus est circulus? O, mi Miri, attentae sunt mihi aures ad ejusmodi res, patet cor inquietum, ut paululum requiescat. Sed quandoquidem e fasciculis PALAESTRAE vestrae mihi exspectatissimis percepi vestrae missionalis Congregationis Patrem legiferum Divorum caelitum albo esse adscriptum atque ejusdem Congregationis ante viginti lustra conditae a vobis recte et jure acta esse sacra anniversaria, praefecto meum quoque est debitum, etsi post festum venio, de his summi momenti rebus vobis congratulari. Floreat igitur vigeatque tanto opitulante in caelis patrono nuper ad altarium evecto fastigium coetus Claretianus in aevum. Id unum optandum est, ut spiritus ille, quo Divus vestrae Congregationis pater erat afflatus, vitam hujus aevi politicam, socialem, conjugalem, oeconomicam pervadat. O, quam brevi tempore permutatus erit universus et rerum et hominum habitus et animus. Tum reapse constitutus erit Christi in terris regnum: •regnum veritatis et vitae, regnum sanctitatis et gratiae, regnum justitiae, amoris et pacis• (*praef. festi Christi regis*).

Neque vero possum, quin tuas in hujus aetatis rebus latine reddendis praedicem contentiones. Etenim opus suscepisti, quod majus est quam ut id unius hominis portare valeant umeri. Nihilo secius unum alterumque voca-

bulum in meos conjectum est oculos, in cuius interpretatione minus usus esse videris felicitate. Sic pro zigzag Plinio auctore discursus vibratus tortusque in locum gyri substituendus est. *Kepi*: melius dicatur *cappicula*, cum a *cappa* derivatum sit. Pro *paracaída* «decidiculum» haud inepte novasti. Equidem per litteras Lurtio Monacensi «umbellam desultoriam», sed pro copiis instrumento illo lapsum et casum retardante ac moderante e caelo per aëra in terram descendentibus «copias desultorias» feci. Neque me fugerat adjectivum «desultorius» cum equite conjunctum jam pridem in usu fuisse, ut *hussarus* significaretur. Ita fit ut adjectivo, quod est «desultorius», aliquid ambigui insit. Quapropter *decidiculum* in horreum meum condam et a «decidiculo» per derivationem fingam «decidicularius». Proinde «decidularii» sunt ii milites, qui «decidiculo» ex aëroplānis transvectoriis in terram devolant secum omnem ferrentes belli apparatus ad rem necessarium. Inter aëroplāna desideravi *Düsenflugzeug*, *Düsenjäger* = *avion à réaction*, *chasseur à réaction*. Propono «aëroplānum reactivum», «propulsans aëroplānum reactivum». Huc adde «aëroplānum radio pyrio». *avion à fusées*, *avión cohete* (= *Raketenflugzeug*). Noli oblivisci *autocohete* (= *Raketenauto*), quod meo rogatu, si placuerit, «diga radio pyrio», «automobilis radio pyrio» nuncupabitur. Haec hactenus. [V Kal. decembres a. MCMLI].

Cum autem ex epistula tua maximo cum dolore cognovissem te diversis et variis distentum negotiis nominibus operum muliebrum, quae manu acque fiunt, procudendis non vacare, ipse rem difficilem pro possibilitate confeci. En quae commentus sum vocabula:

*pespunte*: punctum retroversum; *punto de cadenete*: punctum catenulatum; *punto de espada*: punctura transversaria, sutura pannorum capita conferens; *punto de adorno*: punctum oculatum, p. exornativum; *punto ruso*: punctum spinarum speciem imitans, punctum russicum; *punto de cordón*: punctum funiculare; *punto de trencilla o de espiga*: punctum granulatum factum, p. ordinem grani imitans; *festón*: p. sertum, p. lingulatum; *punto de cruz*: p. decussatum; *punto de encima*: p. imbricatum; *calado*: opus reticulatum, ora reticulata, ora percolata; *aplicación*: applicatio; *trabajo de frivolite*: opus naviculare; *trabajo de nudos*: nodorum conectendorum ars; nodorum conexio; *puntilla de tul*: denticuli tutelenses; a) *fondo de la puntilla*: fundus; b) *bordado*: punctum transitorium; *encaje de bolillos*: ars tudicularis; tudiculari, tudicula fimbriis denticulatis texendis nectere, texere bacillis fimbrias denticulatas, limbos reticulatos; a) *almohada del enc. de bol.*: pulvinus tudiculis textus; b) *patrón*: modulus tudiculandi; *bolillo*: tudicula, bacillum; *bastidor cuadrado*: jugum vel pagmentum quadratum...

Magnis verbis expostulavisti in praefatione collectionis, quam *Nova et Vetera* inscripsisti, *Senatum Latinum*, cuius sit vocabula varie proposita ad cribrum exigere atque probare. Cur longinqua petis, mi Miri, cum quae bona sunt, ante pedes tuos posita sunt? En tibi auctor sum, ut PALAESTRAE paginae



ejus, quem invocas senatus suscipiant officium. Noli pergere longe lateque de hac re disceptare. Jam satis verborum factum est et atramenti per varia orbis periodica Latina in hoc negotio profusum. Facto opus est, facto, inquam. Fac initium! Summum tempus est. Uteredum navitate hominum! Sunt, qui te adjuvent.

Rebus negotialibus rite consummatis tandem libet Natalicia Dominica et Annum Novum bene ominari tibi atque tuae domui in Christo. Cura, ut valeas meique memento!

Lebachio, XVII Kal. jan., a. MCMLI.

*Josephus M. Mir, C. M. F., Dri. Josepho Holzer, socio et auctori nostro sal. pl.*

Nescis, colende et carissime vir, quo animo tuam perlegerim epistolam, qua et Patrem nostrum Antonium cumulatis extollis laudibus atque vota nuncupas optatissima ut nostra Congregatio Claretiana floreat vigeatque in aevum eoque spiritu quo in vita Sanctus Antonius Maria fuerat repletus. Quae pro nobis concipis vota et congratulationes ipse Pater benignus excipiat, et ex copia ac plenitudine gratiarum, quas nobis exoptas, in te tuosque cumulus descendat amplissimus. Nos nostraque, ut facis, amare pergas.

De senatu illo Latino constituendo, quod primas ad nos defers, maxima est tibi gratia habenda, —sicut de laudibus in opellam nostram *Nova et Vetera*—; tua atque lectorum opera, —si societatem illam constituere non liceat—, saltem una allaborabimus ut litterae Latinae instaurentur, refloreat nostrisque usibus accommodentur. Voces, quas proponis, libenter excipio; haeserat primum mihi aqua de *cap(p)icula* tua —quam in *galerticulum bucculatum* mutaveram—, sed cum *cap(p)a* ab Isidoro proferatur, vel hanc vel *cap(p)iculam* vel *capitulum* nostro *quepi* accommodemus oportet; attamen cum *cap(p)a* indefinita maneat, adjectivum «bucculata» (:apposita «buccula» = *visera*), qua re non adjicimus? (1) Pro *zig-zag* «maeandro» («in maeandrum», *en zig-zag*) usi sunt veteres scriptores (cfr. FORCELLINI), nec «gyrus» abjiciendus videtur (cfr. FORCELLINI); locutio tamen Plinii et tua «cursus vibratus tortusque» optima, nisi quod interdum productior erit.

Remiserat ad me Pater Jiménez epistolam tuam V Kalendas octobres datam, tuisque quaesitis breviter respondere curabo. Ex his quae de voce *barroco* apud Otto Panigiani (*Vocabulario etimologico della Lingua italiana*, Milano, 1937) invenio et apud eum in Latinitate virum A. Bacci artem «barocam» (una littera *c* scripsi) nuncuparem, forte et «barocum». Pro *rococó* autem, ipsam vocem «rocócum» appellarem ex ipsa etymologia —cum a *roc(c)a* promānet—, quamvis «ars rupestris» a Cognasso (*Il Latino per l'uso moderno*, Torino) proposita (cfr. etiam O. PANIGIANI, *rocca*) forsitan aptior esset. De «versu tuo

(1) Recte respondi «bucculam» obtegere buccam et genas, «projectura» vero frontem obumbrare; et ideo *quepi* rectius latine interpretabimur «cap(p)iculam projectura munitam» —magnopere et «capitulum» arridet —; adjectivum tamen «projecturatus» —quod effingit— minus placet.

quassato» cum multis jocos convenire possit, iudicium proferre non audeo; quae vero de linguistica prodigia, prorsus sunt accipienda: «apophonia, gradus normalis, plenus, reductus, productus, soni temperamentum» (*timbre*); «gradum imminutum» probarem, tamen perspicuitatis causa «gradum zero» nominarem; vox *zero* indeclinata forte aptior erit, in qua sententia ipse Bini est (*L'uso vivo della Lingua latina*, Firenze, 1940). Ephemeridem autem illam «Bulletin de correspondance hellénique», si tibi non probantur translationes tuae, «acta, (acta et relationes) de Hellenicorum studiis» vocarem.

Fausta felicia fortunata natalicia Domini tibi tuisque decurrant. Maximam a Domino salutem.

Barbastro, idibus decembribus, a. 1951.

## Bibliographia

A. ERNOUT et F. THOMAS — *Syntaxe latine*. Paris, Klincksieck, 1951.

Classicae illi Syntaxi Latinae ab O. Riemann jam diu exaratae, quaeque variis quidem discipulorum generationibus in Latinitate discenda utilitati fuerat, alia his diebus est suffecta, quae eandem forte ab oblivione minime vindicabit. Habent enim vero sua fata libera!

Jam nunc Syntaxis Latina a dominis A. Ernout et F. Thomas elaborata, dispositionem nitide in partes distinctam, seu ut ajunt, «articulatam» exhibet, quod adhuc in ea Grammatices parte docenda commodum desiderabatur. Ortus nempe liber est tempore maximi studii progressusque Latinitatis.

Tres amplas totum opus habet divisiones: Casus et praepositiones (pp. 7-104); phrasim simplex ejusque elementa (pp. 107-243); phrasim dependens (pp. 247-383). Videre licet toto in opere paragraphos commode riteque articulis distinctas. Exempla fere sexcenta, eaque plerumque in Linguam Gallicam, saltem in ipsorum parte praecipua, conversa. Prae oculis, non raro, ab scriptoribus conspectus historicus cum phrasium seu locutionum tum vocabulorum habetur.

Liber vero tibi maxime facilis reddi-

tur ope duorum indicum: analyticus alter (pp. 385-393), alter autem vocabulorum (pp. 394-414). Bibliographia frequens eaque selecta. Textus certe nitidus typographice, quamvis plures sibi minutae scripturae paginae succedant. Haec in posterum Syntaxis Latina, non modo necessaria studiosis litterarum humaniorum erit, sed ipsis etiam Latinitatis magistris et professoribus.

J. B. HOFMANN. — *Etymologisches Wörterbuch des Griechischen*. München, 1949, Verlag von R. Oldenbourg.

Nomen domini J. B. Hofmann est admodum in provincia philologiae cognitum. Qui novum tibi hoc dictionarium Graecum etymologicum offert, parvae quidem molis magisque quam illud non ignobile Boisacq manuale. In eo autem conscribendo, non modo opera illa pristina lexicographorum Prellwitz et Boisacq, sed etiam ante oculos recentiores id genus elucubrationes habuit.

Hoc in dictionario ea fere omnia inveniuntur themata simplicia et primitiva, quae in usu sunt in textibus atque scriptis; composita vero et derivata ex analogia facilius e vocibus simplicibus ac primitivis educi poterunt. Vocabulorum articuli breviter, in genere, verum adaequata materiei respondentis amplitudine,

evolvuntur. Comparativa, ut plurimum, methodus aliis cum Indoeuropaels linguis adhibetur. Labor operis vere acutior; ibi commode quod scriptor habet certum discernitur, ab eo quod plus minus probabile est in arte linguarum. Voces passim «unklar» et «vielleicht» atque non rarae interrogandi notae facile indicant Lexicographi prudentiam atque sapientiam.

Denique in dictionarii fronte habes siglorum nomenclaturam totusque concluditur liber brevissima bibliographia et additionibus correctionibusque non nullis. Conspectus typographicus accuratior editricique domui magno est honorati atque commendationi.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

PABÓN-FERNÁNDEZ RAMÍREZ — *Schiller*. (Clásicos Labor, XIII) Barcelona, Editorial Labor, S. A., 1951, 8.º 230 pp.

In hoc libello, quae clari illius poetae Schiller optima videntur, ad instar florilegii collecta, et hispanice translata, lectoribus Hispanicis offeruntur. Duo ergo in hac recensione nobis sunt expendenda: selectio et interpretatio.

Ad primum quod attinet, id est, ad loca, quae ex auctore deprompta in hoc volumine perhibentur, qui in Germanici poetae operibus hospes omnino non sit, ad amissim selecta sine dubio deprehendet. Sic auctores lectoribus pudent: I, «Poesías líricas». II, «Las Baladas». III, «Cartas sobre la educación estética». IV, «Obras Dramáticas». De celeberrima autem doctrina quae «*aestheticam*, ut Schiller aiebat, hominum educationem» investigat, epistolae revera pulchriores seliguntur, nempe 24, 25, 26, 27, ubi lector summam de pulchritudine et forma seu *aesthetica* Schiller facile comparare potest.

Quatenus ad interpretationem Hispanicam spectat, Hispanici sermonis elegantiam non dedecet, immo libenter omnia leguntur, et ex alto capite saporem illum Germanicum illius scriptoris omnino proprium optime redolet. Quibus vero scopulis versio ejusmodi sca-

teat, negabit nemo qui Germanicam linguam vel primoribus labris degustaverit. Quas quidem difficultates auctores mirum in modum fere semper, ne dicam semper, superare nobis visi sunt. Ceterum, praeteriri silentio non potest accurata et nitida operis editio, qua, ut alias, «Editorial Labor» magnopere honestatur. — LEO M<sup>o</sup> SANSEGUNDO, O. S. B.

VICTORINO CAPANAGA, O. R. S. A. — *San Agustin*. (Clásicos Labor, XI) Barcelona, Labor, 1951, 8.º 360 pp., cum 1 tabula.

Inductio est in mentem doctrinamque Sancti Augustini, vel ut melius dicam, grata quasi deambulatio per pulcherrimas et uberrimas pagellas quas nobis Doctor gratiae legendas reliquit. Opus perutile praesertim his qui vel latine Augustinum legere nequeunt, vel his qui parvis haustibus spiritum profundum ac vastissimum Hipponensis suum facere cupiunt. Florilegium nobis opus exhibet ex scriptis Augustini, quod P. Capánaga perbelle hispanice interpretatus est atque commentatus. Ut bene mens Augustini universa hic lectoribus pateret, Auctor — quem jam utpote Africani Episcopi optimum cognitorem omnes celebrabant — sic in haec capita materiam distribuit: I, Aurelius Augustinus (de vita Augustini usque ad conversionem); II, Amor meus pondus meum (de reliqua Hipponensis vita); III, De literis stilloque S. Augustini. IV, Confessiones V, De Augustino prout heres est classicorum. VI, Augustinus monachus. VII, Augustini Epistolae. VIII, Sermones. IX, Doctor gratiae. X, De Civitate Dei. XI, Gnomica Augustiniana. XII, De Augustini influxu. XIII, Augustinus in litteris Hispanorum.

Utinam haec Augustini et de Augustino dicta, quae laudamus et commendamus, animos ad ipsum Doctorem gratiae immediate et ampliori modo legendum moveant. Hoc enim commode nunc facere queunt etiam Hispani lingua Latina expertes, postquam multa jam Augustini opera hisce diebus «Biblioteca de Autores Cristianos» hispanice translata praebuit et alia praebenda promisit. A. OLIVAR, O. S. B.

# Exercitationes Scholares

## Amor conjugalis

Porcia, praeclara Catonis filia, cum cognovisset virum suum Brutum consilium Caesaris interficiendi cepisse, nocte ante diem teterrimi facti, Bruto e cubiculo egresso, quasi unguium reseccandorum causa, cultellum tonsorium efflagitavit eoque velut forte elapso sese vulneravit.

Brutus in cubiculum famularum clamore revocatus, quod tonsoris officium praecepisset eam objurgavit. Cui secreto Porcia: «Non est hoc —inquit— temerarium factum meum; sed potius in tali rerum statu certissimum amoris erga te indicium; experiri volui, si consilium tibi parum ex sententia cecidisset, quam aequo animo ferro me interemptura essem!»

THOMAS E. MARTÍNEZ, C. M. F.

## Lucius Sergius Catilina

Lucius Sergius Catilina neque solidam habuit indolem neque expressam, sed quandam tantum quasi effigiem ac virtutum excellentiorum simulacrum.

Pravae turmae perditorum civium erat deditus, optimis tamen consentire callide simulabat. Illecebrarum appetens, ad laborem aptus, morum corruptionem cum artis militaris studio mirifice conjunxit. Haud facile unquam crederem tale monstrum in terris extitisse quod ex naturae studiis et cupiditatibus tam contrariis diversisque inter se pugnantibus fuisset conflatum.

Quis enim hominum clarioribus civibus aliquando jucundior, turpioribus autem conjunctior? Quis etiam optime partis initio amantior, postea vero hostis rei publicae quam acerrimus? Quis et vitae licentia inquinatior et laboribus patientior et furti avidior largiorque in largitione?... Quis hominum?...

At, quod est singularissimum, amicos sibi devinciebat obsequiis; cum eis divitias communicabat eorumque omnium temporibus pecunia, gratia, labore corporis, scelere etiam, si opus esset, et audacia serviebat.

In omnes partes mentem versabat et, ad tempus, se omnibus adaptabat. Circumspectum apud probos se praebebat viros hilaremque apud hilares; coram senibus primus ipsemet erat senex, erga juvenes valde munificus; intrepidus etiam audaciam flagitiumque pravis palam ostendebat.

Cum indole illa varia, suavi, leni ad se viros quam pessimos depravatosque perduxit, tum sub virtutis simulatae specie fortes animos bonos seduxit.

Nunquam rei publicae perniciem tentaret nisi lenitas ac patientia, ut radices defixae, tot tantisque flagitiis comitarentur.

J. L. BRASERO, C. M. F.

Celsoe.

Ordinari ac Superiorum licentia

Typographia — F. Camps Calmet. — Teleph. 54. — Tarregae in Illelda Prov.